

Novo cedat ritui :
Prestet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori, Genitoque
Laus, et jubilatio,
Salus honor, virtus quoque
Sit, et benedictio :
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

v. Panem de cœlo præstitisti eis.

R. Omne delectamentum in se habentem.

SALVE, Regina, mater misericordiæ,
vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad
te clamamus exules filii Hevæ, ad te
suspiramus gementes et flentes in hac
lacrymarum valle. Eia ergo, advocata
nostra, illos tuos misericordes oculos ad
nos converte. Et Jesum, benedictum
fructum ventris tui, nobis post hoc exi-
lium ostende, o clemens ! o pia ! o dul-
cis Virgo Maria !